

Andreas Patriarcha fedit annis X. Hic, proclamantia facta de Grado, per Leonem Papam & Lotarium Imperatorem dictam plebem obtinuit: & adjudicata est plebs Ecclesie Aquilegenſis in Synodo generali.

Venantius Patriarcha fedit annis (a) XIII.

Tendinarus (b) Patriarcha fedit annis XXII. Hic etiam sub predicto Lotario, & etiam sub Lodovico ejus filio Ecclesiam mirabiliter gubernavit: & pro Gradenſi plebe proclamavit, & eam obtinuit (c) in Papia.

Lupus Patriarcha fedit annis III. Hic a predicto Lodovico in protectione sua susceptus est. (d)

Valepertus (e) Patriarcha fedit annis XXVI. Hic Karolum II. filium Lodovici a Papa Johanne octavo coronatum Romae sociavit.

Federicus Patriarcha fedit annis LIII. Iste mirabiliter Ecclesiam gubernavit. Hujus tempore imperante Karolo III. Ungarorum gens (f) a Servia egressa in Pannoniam, quae adjungitur finibus Ecclesiae Aquilegenſis, primitus venit, & ejectis Avaris ibi habitare cepit. Erat enim gens crudelissima, carnem comedens humanam, & sanguinem bibens pro potu. Quos Federicus Patriarcha repressit, & longius effugavit, reddens Hesperiae pacem, quae caput extat Italiae. Super cujus sepulchrum in Aquilegia est epitaphium:

*Conditur inferius nitido Patriarcha lapillo,
Præclarum nomen cui Federicus erat.
Ungarorum rabiem magno moderamine preſſit,
Fecit & Hesperiam pacem habere bonam. (g)
Egregius pastor (h) mitis dum pasceret agnos,
Semper utrique gregi pabula (i) leta dedit. (k)
Hunc Deus Omnipotens proprio ditavit honore,
Post (l) hanc Angelicis consociando cboris.
Tu quoque Praecursor Christi Baptista Joannes,
Pontifici meritis auxiliare tuis.*

Leo Patriarcha fedit annis XXII. Hic pro libertate Ecclesiastica se morti exponens, a quodam Rodoaldo Longobardo (m) occisus est. Cujus bona omnia Rodoaldi Ecclesiae Aquilegenſi confiscata fuerunt per sententiam Principum, ut inferius apparebit.

Ursus Patriarcha fedit annis XXIII. Hic tempore Berengarii II. totus virtuosus & prudens, pro Ecclesia multum fuit laboriosus & sollicitus. In Civitate Austria plenus dierum in pace quievit. (n)

Lupus Patriarcha fedit annis (o) IX.

Hengelfredus Patriarcha fedit annis (p) XXIII. cui Berengarius II. & postea Otto I. immunitates & privilegia contulerant. Hic Pontifex nobilis genere, & omni probitate conspicuus.

Rodoaldus almificus Patriarcha fedit annis XLII. Nobilis genere, & nobilior mente ab Imperatoribus Ottone II. & III. plurima privilegia obtinuit: & inter cætera per sententiam Principum coram predictis Imperatoribus obtinuit quidquid inter Plavim & Lipientiam habebat Rodoaldus Longobar-

duſ, qui Leonem Patriarcham, de quo facta est superius mentio, interfecit. (q)

Johannes Patriarcha fedit annis (r) XVIII. Ab Ottone III. plura privilegia obtinuit: & adversus quemdam Urſonem, qui se Patriarcham Gradenſem dicebat, coram B. Henrico Imperatore, cujus uxor fuit S. Cunegundis virgo, de Gradu plebe praedicta reclamavit. (s)

Poppo Patriarcha venerabilis fedit annis XXIV. Hic (t) in duobus Conciliis Romae, & Ravennae celebratis coram Johanne Papa XIX. & Magnifico Corrado Imperatore, adversus Urſonem praedictum, & citatum & vocatum per litteras Apostolicas, & non comparentem, de Gradu plebe praedicta proclamavit. In quibus Conciliis Gradus adjudicata est plebs Ecclesiae Aquilegenſis; & dictum Urſonem, atque suos Praecessores Patriarchatus nomen usurpasse. Ipsoque procurante, omnes thesauri Ecclesiae, libri, calices, paramenta, & alia vasa aurea & argentea, liber seu Evangelium quod B. Marcus Evangelista propria manu scripsit, cum Corporibus Sanctorum, quae per Paulum Patriarcham metu Longobardorum ad praedictam Gradum Insulam deportata fuerunt, & cum aliis reliquiis, ad Aquilegenſem Ecclesiam deportata fuerunt. Templum de novo construxit iste B. Pontifex, & Monasterium Sanctimonialium extra muros Aquilegiae, quod opulentissime dotavit. Templum praedictum una cum duobus Romanae Ecclesiae Cardinalibus, & viginti aliis Episcopis solemniter consecravit: cui consecrationi interfuit Corradus Imperator praedictus; & Johannes Papa duo Sanctorum Corpora, videlicet Marci Papae & Quirini Episcopi Martyris transmisit: tradens eidem Popponi potestatem super XVI. Episcopatus, videlicet Tergestinum, Emonenſem, Polenſem, Parenthinum, Justinopolitanum, Concordienſem, Cenetenſem, Feltrinum, Belunenſem, Patavinum, Veronenſem, Vicentinum, Trentinum, Mantuanum, atque Cumanum. Quam potestatem cum cæteris Regalibus dictus Corradus concessit, atque confirmavit: multaque bona fecit pro ipsa Ecclesia, quae narrare per singula nimis longum effet. In Aquilegenſi Ecclesia requiescit in medio Ecclesiae, in cujus sepulchro hi versus scripti sunt:

*Poppo Sacerdotum lux, & decus Ecclesiarum,
Gloria Romani spes simul Imperii.
Constrictus vinculis humane conditionis,
Ecce sub hac mole fit cinis ex homine.
Instruit ut Paulus, fuit omnibus omnia factus,
Ferre studens Domino dupla talenta suo.
Hic locus est testis, quibus ipse resplenduit actis:
Ille quidem donis, moribus atque probis.
Exornans istam Christo fundaverat aulam;
Ultima principio quem dedit hora suo,
In libra Phæbo duodeno parte locato, (u)
Agne Dei vivi, siste rogo, parce jacenti.*

Heberardus Patriarcha fedit annis V. de quo nihil invenitur dicendum.

Gote-

(a) Apud Murat. annis III. (b) Apud Murat. Teotmanus... annis XXI. (c) Apud Murator. obtinuit Papiam, perperam. (d) Apud Murat. & coram dicto Papa, & ipso definitum est, Insulam Gradenſem esse Aquilegenſis Ecclesiae. (e) Apud Murat. Walpertus... annis XXVII. (f) Apud Murat. a Syria. Error est. (g) Apud Murat. Et pacem afflicte contulit Italiae. In alio Cod. Fecit & Hesperiam pacis habere bonum. (h) Apud Murat. mittens. (i) Ibidem leſta. (k) Apud Murat. Annoſe ætatis post curſum in luce quieſcit Et cumulata capit præmia pro meritis. (l) Apud Murat. hec. (m) Apud Murat. Duce Forjuli. (n) Apud Murat. & hoc fuit circa annos Domini DCCCC. XXXI. (o) Apud Murat. annis LVI. sed non ita in authenticis privilegiis reperitur; quum Berengarius III. qui fuit sub

annis Domini DCCCC. XXXI. multa privilegia conceſſerit Patriarcha Hengelfredo: nec non Rodaldus ſucceſſor ſuus largas ſibi fecerit donationes, & Eccleſie ſue prædicte. Perperam invehitur Berengarius tertius. (p) Apud Murat. ſedit, ut dicitur, annos LVII. ſed non certe reperitur. Verum Berengarius & Otto primus multa privilegia &c. (q) Apud Murat. ſed quantum ſederit, pro vero non reperitur. Sed fertur, quod annos LVIII. ſederit. (r) Apud Murat. annis XIX. (s) Apud Murat. Qui Henricus ſecundus appellabatur. (t) Apud Murat. Hic Cancellarius magni Comadi Imperatoris, qui totum orbem pacificavit, in Patriarcham aſſumptus eſt. (u) Apud Murat. perperam, In libra Phæbo duodena parce beato, Agne Dei, Domino, te rogo, parce meo.